

gustini celebratum idem can. 11. decidit (Labb. t. 2. p. 1217. C.), *ut lapsis sacerdotibus manus, sicut laicis, non imponantur.* Et habetur c. *Confirmandum est*, dist. 50.

Per pœnitentiam vero publicam intelligitur tantum luctuosa illa ac solemnitas, quæ in tertio pœnitentiæ gradu, qui *substratio* dicebatur, peragi solebat, in quo pœnitentes cinerè conspersi, induti sacco ac plane lugubri habitu, variis laboribus et carnis afflictionibus, et frequenti manus impositioni Episcoporum et Cleri totius subiciebantur; a quo dedecore ac verecundia clericos majores Ecclesia semper exemit. Privatam tamen secessionem ac pœnitentiam lapsis clericis injunctam fuisse, ait S. Leo in epistola laudata. Quo modo explicatur, qui objici solet, Canon 76. Conc. Eliberitani, aliaque testimonia, quæ Morinus adducit.

CAPUT VIII.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

ARTICULUS I.

QUENAM POTESTAS IN MINISTRO HUIUS SACRAMENTI REQUIRATUR?

278. *Dico I.* Ut quis sit verus sacramenti hujus minister, simpliciter in eo requiritur potestas ordinis, seu ut sit Sacerdos. Ita Catholici omnes contra Waldenses, Wicleffistas, Lutheranos et Novatores cæteros.

Prob. I. Ex Scriptura. Verba Christi Joan. 20. v. 23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* solis sacerdotibus dicta fuisse constat ex perenni traditione et usu Ecclesiæ orientalis et occidentalis. Concilium FLORENTINUM in decreto Eugenii §. *Quartum*, inquit: *Minister hujus sacramenti est sacerdos.* Idem statuit Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 6. et can. 10. *Si quis dixerit, inquit, non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quorum remisistis peccata... quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; anathema sit.*

Prob. II. Testimoniis Patrum. ORIGENES homil. 2. in Levit. (opp. t. 2. p. 191. C.) *Est adhuc, inquit, septima peccatorum remissio... cum peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* S. CYPRIANUS L. de lapsis: n. 29. *Confiteantur, inquit, singuli delictum suum dum remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est, etc.*

BASILIIUS M. in Regul. brevior. ad interrogationem 288. (opp. t. 2. p. 516. D.) respondet: *Necessario iis peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Non autem cuilibet, sed Apostolis et ipsorum successoribus sacerdotibus hanc dispensationem creditam esse monet B. Paulus 1. Cor. 4. v. 1. et c. 12. v. 28. et seqq.

S. Joan. CHRYSOSTOMUS L. 3. de Sacerdotio, cap. 5. (opp. t. 1. p. 383. B.) extollit potestatem sacerdotibus a Deo concessam absolventi a peccatis; quæ sit major omnium terrenorum Principum potestate, *quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit, etc.* ut fusius retulimus supra c. 1. a. 1. ad Inst. 1. Obj. 3.

INNOCENTIUS I. epist. 1. ad Decentium (Labb. t. 1. p. 1247. L.) *De pondere, inquit, æstimando delictorum, sacerdotis est judicare.*

S. AUGUSTINUS epist. 228. (al. 180. ad Honoratum, n. 8.) deterret sacerdotes, ne deserant oves in periculo, quia magnum exitium sequitur eos, qui *de hoc seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.*

S. LEO epist. 83. (al. 108. ad Theodorum): *Sic divine, inquit, bonitatis præsidis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*

S. CÆSARIUS homil. 41. peccatorem ad non differendam pœnitentiam hortatus: *Nescit, inquit, si possit pœnitentiam accipere, et confiteri Deo et sacerdoti.* Plura Patrum testimonia dedimus cit. cap. 1. huj. disp. art. 1. et 2.

279. *Dico II.* Ut quis sacramentum pœnitentiæ administrare possit, opus ei adhuc est jurisdictione.

Prob. Concilium TRIDENTINUM dicta Sess. 14. cap. 7. ait: Nullius momenti esse absolutionem, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Ac rationem hanc reddit: Pœnitentiæ sacramentum est iudicium: atqui ad iudicium requiritur necessario in iudicante iudicatio, et subjectio in eo, qui iudicatur: neutrum autem habetur a sola potestate ordinis; alioqui sacerdotes quilibet essent sibi mutuo pastores et subditi; ergo.

280. *Obj. I. cont. 1^{am} concl.* Jacobi 5. v. 16. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra;* ergo cuilibet fieri confessio potest.

R. Explic. Ant. Confitemini alterutrum peccata vestra generatim C. specialim *subdist.* singuli singulis quibusque N. reus iudici, laicus sacerdoti C. Sic veteres intellexisse ostendunt testimonia sæpius allata. Quæ quidem testimonia etiam sufficiunt ad dandam rationem discriminis, cur non æque omnes Christianos concernat dictum Christi: *Quorum remisistis peccata, etc.* ac illud Matth. ult. *Euntes baptizate.* Præterquam quod major sit baptismi necessitas, quam pœnitentiæ sacramenti, ut notat S. Thomas dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2. neque in baptismi administratione servetur ratio iudicii, quam remittendi et retinendi potestas in pœnitentiæ sacramento exercet.

Inst. 1. Olim defectu presbyteri sacramentalem absolutionem impertierunt diaconi: nam S. Cyprianus epist. 12. ad clerum de lapsis et alibi scribit, lapsos in idololatriam, si libellos Martyrum exhibere possint, presbyteris absentibus, apud diaconum exomologesin facere posse, ut manuum ejus impositione ad Dominum cum pace veniant; ergo.

R. N. Ant. S. Doctor loquitur solum de exomologesi, qua morituri tales diacono suum lapsum in idololatriam, et sua vota reconciliationis aperiant, ut ab eo reconciliari, et S. Eucharistiam in viaticum percipere pos-

sint. Idem sensus est Synodi Eliberitanæ, quæ can. 32. (Lab. t. 1. p. 974. B.) facit diacono potestatem concedendæ communionis, si ei iusserit sacerdos: indicat enim solum communionem ecclesiasticam, non vero reconciliationem cum Deo. Sed et Concilium Toletanum I. c. 2. (Lab. t. 2. p. 1223. E.) cum diaconos lapsos privat potestate imponendi manus, non intelligit nisi honorariam illam, cum clerus cum Episcopo poenitentibus manus sæpe soleret imponere. Ad sensum eundem Alcuinus, Ordo Romanus aliique dicunt: *Diaconus suscipiat poenitentes, et det eis sanctam communionem*, susceptione tantum ceremoniali, ut precum Ecclesiæ et Eucharistiæ participes fierent; non vero absolutione sacramentali. Ordo enim Rom. *Sicut sacrificium*, inquit, *offerre non debent, nisi episcopi vel presbyteri, quibus claves regni cælestis traditæ sunt; sic nec ista iudicia alius usurpare debet.* Ordo Parisiensis, in statutis Synodal. Stat. 36. *Prohibetur*, inquit, *districte, ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate: claves enim non habent, nec possunt absolvere.* His Alcuinus cum cæteris antiquis consentit.

Inst. 2. c. Fures, Extra, de furtis: *Fures*, inquit, *si furando comprehensi vel vulnerati, presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Alia item Concilia, Patres et præcipui Theologi jubent, absente episcopo et presbytero, confessionem fieri diacono, aut etiam laico; ergo.

R. Sententia illa in jure can. mendosa est: ita enim canon 31. Conc. Triburiensis (Lab. t. 9. p. 457. A.), in decretales relatus, sonat: *Si comprehensi et vulnerati, Deoque et sacerdoti confessi, etc.* Et ut prior lectio admittatur, tamen recte explicari potest secundum sententiam Conciliorum, Patrum et Theologorum, qui, absente episcopo et presbytero, confessionem aliis jubent fieri, ad præceptum Christi de confessione quoquo modo implendum, et gratiam ipsa operis humilitate consequendam N. Juxta hanc expositionem S. Thomas nuper cit. ait, *laicum in necessitate supplere vicem sacerdotis, cui confessio fiat*: eo quod putaret, hominem in articulo mortis teneri peccatum mortale, cujus sibi conscius est, saltem laico confiteri: ibidem tamen ad 1. et dist. 20. q. un. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3. ait, ejusmodi confessionem non esse sacramentalem, nec ita confessum consequi sacramentalem absolutionem, sed defectum sacerdotis erga sic confessum et contritum a summo Sacerdote suppleri. Igitur Morinus, qui in aliam partem propendere visus est, ipsis veterum testimoniis, quæ in suæ opinionis patrocinium adducit, convincitur. Nam Magister sententiarum L. 4. dist. 17. *Si*, inquit, *defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio.... Tanta quippe vis est confessionis, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo.... et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet; fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis.*

Verbis pene eisdem utuntur Gratianus, Præpositus in summa inedita, Albertus M. aliique apud Morinum.

281. *Obj. II. cont. 2^m. conclus.* Sacerdotes in sua ordinatione accipiunt potestatem remittendi peccata, dum dicitur eis idem ab Episcopo, quod dicebatur Apostolis a Christo, Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, etc.* atqui post illa Christi verba non egebant Apostoli po-

testate alia; ergo neque sacerdotes post collatum sibi sacerdotium egent distincta potestate jurisdictionis.

R. D. M. Sacerdotes in sua ordinatione accipiunt potestatem totalem et completam remittendi peccata N. accipiunt potestatem radicalem, inchoatam et ex parte principii activi C. Potestas totalis et completa remittendi peccata constat necessario ex potestate ordinis et jurisdictionis, quarum prior sola ordinatione confertur, posterior vero ante et post ordinationem conferri potest. Quare Apostolis Christus dicendo: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, etc.* tantum concessit potestatem ordinis: nam cum continuo ante dixisset: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, jam eis conferebat jurisdictionem universalem in omnes Christianos.

Inst. 1. Sacramento ordinis confertur potestas judicandi, seu peccata judicialiter cognoscendi, ac deinde prout videtur, retinendi ac remittendi: atqui hæc est potestas jurisdictionis; ergo non opus est alia potestate jurisdictionis.

R. D. M. Confertur potestas jus dicendi remota, inchoata, late et improprie dicta C. potestas proxima, completa, proprie et stricte dicta N. Jurisdictio proprie accepta, de qua Concilia disserunt, est potestas regendi et gubernandi, quæ non datur per solam ordinationem: nam episcopi absolute ordinati, seu mere titulares, item episcopi episcopatu suo dejecti, aut qui legitime renunciarunt, carent jurisdictione, quam tamen habent episcopi confirmati, antequam ordinentur. Deinde potestas ordinis sola ordinatione confertur verbis istis: *Accipe Spiritum sanctum, etc.* e contra potestas jurisdictionis acquiritur pluribus signis externis, v. g. collatione beneficii ab episcopo, quæ etiam legitime delegatur a beneficiato nondum ordinato. Præterea potestas jurisdictionis augeri, minui, delegari potest, et adimi: potestas ordinis eadem est et æqualis in omnibus, nec delegari potest, nedum amitti. Denique potestas ordinis confertur sine subjecta materia: jurisdictio autem nequit esse sine materia certa et determinata; quomodo enim superior sit sine subditis? Igitur jurisdictionis collatio, cum sit designatio subditorum, habet se sicut approximatio causæ ad subjectum: nam etsi ignis idoneus sit ad comburendum lignum, nullum tamen comburet, nisi sibi admotum.

Inst. 2. Sacerdotes habent potestatem suam absolvendi a Christo, non vero ab Ecclesia.

R. D. *Assumpt.* Habent a Christo hanc potestatem radicalem, inchoatam, et ex parte principii activi C. hanc potestatem absolutam et completam a Christo N. Accedente jurisdictione ab Ecclesia, potestas absolvendi a Christo per sacramentum ordinis collata, completur et perficitur in ordine ad usum.

Inst. 3. Si non una cum potestate absolvendi simul in ordinatione confertur jurisdictio; ergo potestas illa absolvendi erit inutilis, cum reduci in actum non possit.

R. N. *Illatum.* Reduci potest in actum accedente jurisdictione, quæ et ipsa non censetur esse otiosa, quod sine potestate absolvendi per ordinationem collata in actum secundum non prodeat. Habet ergo se res fere sicut cum rex aliquibus potestatem absolvendi vel damnandi impertiverit, quam exercere non possint, antequam ipsis a prorege in præfecturis subditi certi designentur.

Inst. 4. Si ad absolvendum requiritur jurisdictio, ergo summus Pontifex

a nemine absolvi poterit : sicut enim in foro externo a nemine judicari potest, ita in iudicio interno nemini potest in se dare jurisdictionem.

R. N. *Illat. et ejus probat.* Propter excellentem, omnique humana majorem dignitatis suae prerogativam, quam auctoritati mere humanae subijci non convenit, non potest in foro externo cuiquam in se committere jurisdictionem. E contra cum in foro interno auctoritas absolvendi divina sit, ejusque iudicium omnibus christianis peccatoribus jure divino necessarium; hoc ipso quod Pontifex confessarium sibi eligit, committit eidem jurisdictionem in se ipsum : perinde ac supremi Principes iudicibus, quibus causas suas decidendas committunt, jurisdictionem in se ipsos conferunt.

282. *Coll. 1º.* Quilibet sacerdos etiam excommunicatus, si alius haberi nequit, potestatem habet absolvendi quemcumque peccatorem in articulo, aut probabili periculo mortis, v. g. instante praelio aut navigatione. Ubi immerito quidam excommunicatos vitandos, suspensos, interdictos et haereticos excipiunt : nam Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 7. *In articulo*, inquit, *mortis omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Quod autem excommunicati, penitusque praecisi a sacerdotum ministerio arceantur, et omnino vitari jubeantur, id in odium et poenam scelerum ipsorum statuitur : ideoque in aliorum fidelium emolumenta, non in separatorum favores poenam illam legum interpretatione molliori, non vero exasperari decet.

2º. Jurisdictio et approbatio Ordinarii tam requiritur ad absolvendum a venialibus, quam a mortalibus, ut declaravit Innocentius XI. decreto dato an. 1679. neque enim potest iudex sine jurisdictione esse. Hinc potest Ecclesia reservare peccata venialia, decernendo, absolutionem a non approbato nullam esse; licet poenitens aliis mediis sine sacramento haec extergere possit. Quae omnia ad iteratam absolutionem a peccatis alias jam in confessione remissis accommodari possunt.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE APPROBATIONIS AD SACRAMENTUM POENITENTIAE ADMINISTRANDUM.

283. *Nota.* Jurisdictio seu potestas ecclesiastica gubernandi populum christianum, alia est ordinaria, alia delegata. *Ordinaria* jurisdictio est ea, quae habetur ex officio et titulo, cui incumbit cura animarum, ut est Episcoporum, Parochorum, et Superiorum monasteriorum et coenobiorum in religiosos sibi subjectos. *Delegata* jurisdictio habetur ex commissione hujus, qui ordinaria jurisdictione pollet. Aliquid jurisdictionis delegatae est *approbatio* : haec enim non tantum est Episcopi testimonium juridicum de Sacerdotis alicujus habilitate sufficienti ad excipiendas confessiones, sed simul consensus ac deputatio ad id officii in dioecesi obeundum.

284. *Dico* : Sacerdotibus omnibus beneficium curatum non habentibus adeo necessaria est ad excipiendas secularium confessiones approbatio Episcopi, ut sine hac nulla sit ipsorum absolutio. Ita Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 15. de Reform. *Decernit, nullum, etiam Regularem, posse*

confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

Dixi 1º. *Non habentibus beneficium curatum.* Hinc omnes Praelati, etiam regulares, hac approbatione egent : non item ii, qui habent beneficium curatum, ut Episcopi etiam nondum consecrati, modo jurisdictionem habeant, Abbates, qui jurisdictione quasi episcopali pollent, atque etiam Parochi, quamdiu beneficium suum obtinuerint. Ut primum autem desinunt ita beneficiati esse, egent approbatione, aequae ac caeteri.

Dixi 2º. *Ad confessiones secularium* : cum ergo Concilium nihil innovet circa confessiones Regularium virorum vel feminarum, possunt a quolibet sacerdote jurisdictionem habente audiri, juxta decretum Concilii Tridentini. Quanquam Gregorius XV. constitutione anno 1622. edita sanxerit, ne quis, etiam regularis sacerdos, Monialium confessiones, nisi approbatus ab Episcopo excipiat : quae quidem approbatio peculiaris esse debet pro hisce personis. Neque etiam is, qui pro Monialibus certo tempore audiendis approbationem tulit, extra illud tempus sine singulari approbatione audire illas deinceps poterit, ut diserte statuit Clemens X. in Bulla, *Superni Principis familias.*

Ex eadem lege Tridentini Concilii conficitur, quod nullus Praelatus secularis non habens jurisdictionem episcopalem confiteri possit cuiquam non approbato ab Episcopo, aut non habenti beneficium curatum. Imo quod nec Cardinalis aut Episcopus aliusve secularis clericus eligere possit alterius dioecesis presbyterum a suo Episcopo non approbato, ut habetur in declaratione Cardinalium 1158. et 1160. cit. a Suaresio d. 28. sect. 4. n. 8. Quae quidem ultima pars videtur eidem Suaresio nova et difficilis : nam si Episcopus extraneo sacerdoti jurisdictionem et approbationem in oves proprias impertire potest, cur non idem poterit in se ipsum ?

Dixi 3º. *Approbatio Episcopi* : quo nomine censentur etiam ejus Vicarius, et quicumque habent jurisdictionem episcopalem, ut sunt Abbates quidam, et Capitulum sede vacante. Hinc probabile nullo modo est, quod quidam asserere ausi sunt, sufficere iudicium academiae, aut curati alicujus : haec enim opinio prorsus adversatur Concilio Tridentino, quod solum Episcoporum meminit ; et ita quoque explicavit Pius V. in Bulla, quae incipit : *Romani Pontificis.* Igitur cum necessaria omnino sit approbatio Episcopi, saltem confirmati, suboritur dubium, cujusnam Episcopi ? In qua quaestione accedere non possumus illorum sententiae, qui opinantur, confessarium debere et posse a solo eo approbari, in cujus dioecesi sacerdos quasi sedem fixam habeat, nec posse approbationem ab alio obtinere, in cujus dioecesi constanter non habitet : eo quod approbatio sit actio quaedam jurisdictionem habentis in Presbyterum sibi subditum. Cur enim Episcopus Wormatiensis non possit approbare pro excipiendis confessionibus sacerdotem in dioecesi Spirensi habitantem, et ibidem non approbato ? Nam sacerdos ab Episcopo non suo petens vel admittens approbationem, fit velut transeuntes ejus subditus, dum se illi hoc in casu sponte submittit.

Dixi 4º. *Ut sine hac nulla sit absolutio.* Quapropter necessaria simpliciter est approbatio, vel absoluta pro quovis loco, tempore vel personis

totius diocesis; vel limitata ad certum tempus, locum et personas, quos limites si quis excesserit, idoneis non est ad conficiendum absolutionis sacramentum. Nam sicut possunt Episcopi sacerdotibus, etiam regularibus privilegiatis, approbationem simpliciter negare: ita eandem possunt restringere, ut novimus ex Bulla Clementis X. quæ incipit: *Superna magni Patris familias*.

285. *Obj. I.* In extravagante: *Super Cathedram*, de sepulturis, et in Clementina: *Dudum*, eod. tit. In extravagante: *Inter cunctas*, de privilegiis, et in Bulla Leonis X. quæ incipit: *Sacro approbante Concilio*, statuatur, ut Regulares mendicantes, petita et injuste negata approbatione, possint audire confessiones secularium; ergo eis non est adeo necessaria hæc approbatio.

R. N. Cons. Privilegium illud Regularium insertum fuit corpori juris communis, capitulo autem: *Licet Romanus*, de Constit. in 6. dicitur: Romanus Pontifex edendo constitutionem posteriorem, priorem, quamvis de illa mentionem non faciat, revocare, quando continetur in jure: atqui in Concilio Tridentino, quod Pontifex ipse indixit et confirmavit, ubi approbationis necessitas absoluta inducitur, diserte subjungitur: *Privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus*.

Nec fit cuiquam injuria: nam cum Ecclesia omnibus jurisdictionem tribuat, potest, cum videtur, eadem privare; sicut etiam revera privat omnem, qui approbatus legitime non fuerit.

Accedit Bulla Urbani VIII. anno 1628. edita, quæ incipit: *Cum sicut accepimus*, qua omnia et singula indulta quæ a Sede Apostolica promanant audiendi secularium confessiones absque Ordinarii approbatione quibuscumque Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus concessa revocantur, cassantur, tolluntur, reprobantur, annihilantur, viribus et effectu evacuantur, nullisque personis imposterum ullo modo suffragari posse decernitur.

Ex quo nemini deinceps tanquam probabile tueri licet, quod Navarrus in Manuali cap. 27. n. 264. et 265. et nonnulli quondam tradiderunt, etiam post Concilium Tridentinum sufficere licentiam petitam, etsi negetur.

Inst. Actio injusta nemini nocere debet: atqui quando negatur dignitas approbatio, est actio injusta; ergo Regularibus nocere non debet: neque præsumendum est, a Concilio datam Episcopis facultatem agendi contra justitiam.

R. D. M. Actio injusta nemini debet nocere per se C. per accidens N. Quo sensu etiam Concilium, restituendo Episcopis potestatem suam integram, eisdem præbuit occasionem quandoque injuste agendi. Quanquam vix apparet, quomodo Episcopus præsentatos a Superioribus suis religiosos non acceptando injuriam illis faciat; nam dicta Clementina, *Dudum*, limitationes aliquot continet, quæ Episcopi se tueantur. Ac prior quidem, quod Prælati, Episcopo renuente aliquem, illius loco debeat subrogare alterum; posterior autem, ut non plures præsententur Episcopo, quam sint necessarii: atqui Episcopus dicere posset, eos non esse necessarios, qui se approbandos offerrent, quod alii sibi suppetant sacerdotes. Cæterum decernere hic de justitia actionis non est Religiosorum, sed Episcoporum, quos Concilium iudices constituit vel potius restituit justis et maxime neces-

sariis de causis. Quod si Regulares factam sibi injuriam putent, habent, coram quo de illa querantur; absurdissimum autem foret, si penes ipsos maneret potestas causam propriam decidendi, cum vix ullus, utut indoctus, aut improbus sit, non sibi persuadeat, cum rejicitur, injuriam sibi inferri. Licet ergo negetur injuste approbatio, suum nihilominus effectum talis negatio sortitur, sicut e contra cum Episcopus approbat, cui scit esse recusandam approbationem, hæc tamen valida erit: nam cum synodus dicat: *aut alias idoneus judicetur*, loquitur de sententia externa authentice ab Episcopo lata; ad cujus valorem non requiritur, ut iudex interius idem æstimet, quod exterius pronuntiat.

286. *Obj. II.* Pius V. statuit, approbationem Mendicantibus concessam revocari non posse, nec posse eos ab Episcopo, a quo approbati sunt, iterum examinari, sed tantum ab ejus successore; ergo approbatio non potest ad certum tempus limitari.

R. N. Cons. Gregorius VIII. Bulla sua, cujus initium, *In tanta rerum et negotiorum mole*, Constitutiones Pii V. pro Mendicantibus et aliis Regularibus contra locorum Ordinarios, ad terminos juris communis et Concilii Tridentini reduxit.

Inst. 1. Approbatio vi sententiæ juridicæ Episcopi approbantis transit in rem judicatam; ergo revocari amplius non potest.

R. N. Cons. Nihil vetat, contra id, quod prius judicatum est, postea judicari, sive licite, sive non, præsertim in hac causa, in qua leges Episcoporum potestatem eatenus extendunt.

Inst. 2. Sententia injusta non aufert jus acquisitum; revocatio autem approbationis digno datæ, et qui dignus adhuc est, est sententia injusta; ergo non aufert ei jus suum.

R. D. M. Sententia injusta non aufert jus ad rem C. non aufert rem ipsam N. Sicut per detractionem vere tollitur fama, quamvis et injuste tollatur, et jus ad eam maneat: ita licet injusta revocatio non tollat jus ad testimonium Episcopi, quia tamen ad approbationem opus est testimonio actuali Episcopi moraliter perseverante, et hoc revocatione etiam injusta tollitur, revocatione quacumque, approbationem ipsam cessare necesse est. Causæ autem justæ revocandæ approbationis sunt nimia ignorantia, et perversi mores sacerdotis, quæ approbantem Episcopum latebant, aut si nimia approbati inertia aliudve vitium approbationem concessam sequatur. Nam cum anno 1633. die 19. Febr. libello ad Emin. Cardinalem Richelium dato, variorum Ordinum regularium Superiores Parisiis degentes agnoverint, Regularium Episcoporum approbatione egere, eamque revocari posse ob incapacitatem notoriam et scandalum publicum, non negant, alias posse subesse causas revocandi, sed, si quæ extiterint, rogant, ne Episcopi approbationem revocent, antequam Superiores moniti sint de causa, ut, nisi providerint ipsi, quod facturos confidunt, ab Ordinariis provideatur.

287. *Obj. III.* Potest sacerdos ab uno Episcopo approbatus ubique sine nova approbatione excipere confessiones; nec enim aliud ex doctrina Conc. Tridentini colligitur; ergo non opus est, ut approbetur confessarius ab Episcopo loci, ubi excipiuntur confessiones.

R. N. Ant. quam propositionem proscripsit Alexander VII. in Brevi dato ad Episcopum Andegavensem 30. Jan. an. 1659., et antea rejecit Clementina, *Dudum*, de sepulturis, et Innocentius X. in responsione ad Episcopum Angelopolitanum in causa Patrum Soc. JESU: et Tridentinum signanter vult obtineri approbationem ab *Episcopis*. Ac ratio ipsa suadet, quod ob regionum et morum varietatem non idem ubique munere hoc rite fungi queat. Ex his constat, neminem posse in templis alienis sine illorum, quibus templa subsunt, consensu confessiones excipere, nisi habuerit facultatem ab Episcopo, cui praeses templi subest. Caeterum Constitutio Clementis X. prohibet quidem, ne quis Regularis ad audiendas confessiones se exponat in dioecesi, in qua non est approbatus; non tamen vetat, quominus illac iter forte agens alium suae dioeceseos similiter facientem iter sacramento Poenitentiae expiet: quia tunc locus dioecesis alterius habet se tantum per accidens respectu hujus confessarii et poenitentis. Quamquam autem et hanc licentiam Regularibus privilegiatis quidam et ipsi Regulares inficiuntur competere; certum tamen est, Parochis licere subditorum suorum confessiones in aliena dioecesi excipere, modo id privatim et sine scandalo fiat: nec enim jurisdictio in foro poenitentiae contentiosa est et strepera, ut exerceri in territorio alieno nequeat; nec Parochus proprii quidem Episcopi approbatione eget ad sacramentum suis ovibus in sua dioecesi administrandum.

288. *Obj. IV.* Parochi et Religiosi approbati ab uno Episcopo excipiunt confessiones hominum ex alienis dioecesibus ad se confluentium, licet ab horum Episcopis speciatim ad id approbati non sint; ergo ad legitime ministrandum confessionis sacramentum non opus est, ut sacerdos ab Episcopis poenitentium etiam approbetur.

R. N. *Cons.* Quod Parochi alique sacerdotes approbati ab uno Episcopo absolvere possint poenitentes ex alienis dioecesibus ad se convenientes, fit ex consuetudine a superioribus Ecclesiasticis approbata, aliisque justis de causis in sacris Canonibus descriptis: ubi ab uno Episcopo approbatis quoad tales casus jurisdictio et approbatio in alienos subditos tribuitur.

Caeterum Parochus ad excipiendas suorum confessiones uti potest opera alius Parochi, etsi ad id ab Episcopo non approbati, nisi hoc aliunde prohibitum fuerit. Nam Parochus ordinariam suam jurisditionem delegare alteri potest, et alter absque approbatione Episcopi ad id muneris idoneus est. Synodus enim Tridentina parochiale beneficium habentes relinquit juri antiquo, secundum quod hi sine approbatione Episcopi poterant suorum confessiones in his parochiis audire, et delegari ad aliorum confessiones in alienis Ecclesiis excipiendas. Quod si juxta caput, *Omnis utriusque sexus*, Parochus suis permittere potest, ut alii Parochi alibi confiteantur; quanto magis potest alium Parochum delegare ad eosdem in sua Ecclesia absolvendos.

ARTICULUS III.

DE JURISDICTIONE MINISTRI HUIUS SACRAMENTI.

289. *Nota.* Diximus nuper, jurisdictionem hic esse facultatem judicandi alterum in foro conscientiae. Atque ordinariam quidem habent Episcopi, et qui potestatem quasi episcopalem habent, eorumque Vicarii, Cardinales in suis Ecclesiis, Legatus Pontificius in sua provincia, Capitulum cathedrale sede vacante: inter Regulares Praepositus Generalis et Provincialis jurisdictionem in suos habent quasi episcopalem; Superiores vero locales intuitu illorum se habent ut Parochi erga suos Episcopos. Episcopi, et qui talem potestatem habent, proprie Ordinarii dicuntur a suo episcopatu, unde titulum et munus pastorale habent. Prae hisce autem omnibus supremam in omnes Christi fideles et eorum Pastores jurisdictionem obtinet summus Pontifex.

Jurisdictio autem ordinaria manifeste differt a delegata 1°. quia habens illam tanquam superior potest ex officio Pastoris aliis tanquam subditis imperare. 2°. Potest suam facultatem sacerdotibus aliis communicare ac delegare. 3°. Quia dicitur proprius eorum sacerdos, in quos ex officio jurisdictionem obtinuit. Quae quidem omnia praedicata tribui nequeunt illi, cui delegata tantum est jurisdictio.

290. *Dico I.* Quilibet Ordinarius communicare potest jurisdictionem suam ad excipiendum confessiones cuivis sacerdoti approbato, ac Superior quidem inconsulto etiam Ordinario immediato. Ita Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 7.

Prob. I. Ordinarius habet universalem in suos potestatem, ergo potest suas oves aliis etiam Pastoribus committere, ne manca sit Christi institutio; cum raro unus solus amplae curae pastoralis sufficiat.

Prob. II. Joannes XXII. Extrav. *Vas electionis*, de Haeret. et Schism. hanc thesin nostram stabilivit contra Joannem de Poliaco, qui inficiabatur, posse summum Pontificem inconsulto Parocho hanc aliis sacerdotibus facultatem impertiri. Thesis eadem confirmatur a Clemente IV. in Bulla *Quidam temere sentientes*: ab Alexandro IV. in Bulla *Cum olim*: a Xysto IV. in Bulla *Regimini universalis*: a Leone X. in Bulla *Exponi Nobis fecerunt*: in quibus contrariam sententiam erroris damnant.

Ad haec extant plus quam triginta Bullae Pontificum, viginti quinque, quae jurisdictionem personis quibusdam Regularibus Mendicantibus delegarunt, excipiendi confessiones quolibet tempore et quovis articulo, modo ab Episcopis approbationem et a suis Superioribus licentiam obtinuerint; ut videre licet ex Bullario. Quam etiam delegationem licere decidunt Concilia Viennense sub Clemente V. in Clement. *Dudum*, de sepulturis: Lateranense V. sub Leone X. Sess. 11., et Tridentinum Sess. 23. cap. 20. ubi privilegia firmat Regularium.

Prob. III. Parochi possunt hanc jurisdictionem quibuslibet approbatis sacerdotibus legare in suis Ecclesiis; ergo multo magis hanc potestatem habent Episcopi et Papa. Ita S. Thomas in 4. d. 17. q. 3. et in supplem.